

Friedrich-Universität Bützow

## **Commentationis, De Vero Sensu Qvæstionis Controversæ Et Decreti Apostolici Actor. XV. Particula Tertia**

Buetzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, MDCCLXX

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1837747148>

Druck Freier  Zugang



Univers. Bützow.  
Frühjahrprogramm. 1770.

Mkl h

3473

3 ME  
05. Aug. 1999

● entsäuert

*Mull. h.*  
3473

COMMENTATIONIS, DE VERO SENSU QUÆ-  
STIONIS CONTROVERSÆ ET DECRETI APO-  
STOLICI ACTOR. XV.

PARTICULA TERTIA.

QUA

RECTOR ET CONCILIUM  
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ  
BUETZOVIENSIS

CIVIBUS

PENTECOSTES  
FESTOS DIES

PIE CELEBRANDOS

RITE INDICUNT.



---

BUETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.  
ET ACADEM. TYPOGR. C1817.

COMMITATIONE DE VERO SENU OVAE  
STIONE CONTRARIA ET DEBILI AND  
STRICTOR IV.

PATRIUM TRIVIA

1711

RECTOR ET CONCIUM  
ACADEMIE PRIDERICIANAE  
DUETZOVENSIS


1711

PRINTED AT THE  
UNIVERSITY PRESS

ROSTOCK

LEONHARD  
FRANCKENBERG, HANDEL-UND  
BÜCHERHÄNDLER





I. N. J.



I.

Superiori commentatione \*) in evolvendis diversis significatibus, qui voci, *lex*, in in scriptura s. subjiciuntur, postremo loco ostendimus, legem sæpe doctrinæ de Messia ejusque beneficiis opponi, quo respectu completatur totam omnium in universum præceptorum summam, quibus Moses homines instituit, quoad totum moralem statum, universamque interiorem & exteriorem vitam & mores, omniaque animi consilia & agendi rationes, additis equidem tum promissionibus sub conditione obsequii, gravissimisque comminationibus, si delinquant; ita tamen, ut ipsum obsequium his præceptis præstandum, ipsi homini suis viribus efficiendum relinquatur, via & remedio non ostenso, quo ad ejusmodi mentis indolem vivendique rationem erigi

a 2

& for-

\*) vid. Program. pentecost. anni præt.

& formari possit: quippe quod a Messia ejusque evangelio unice sit expectandum. Testimoniis scripturæ, loco citato jam adductis, in quibus hicce vocis sensus & respectus apertissime continetur, imprimis Apostoli disputationem, Rom. VII, 14. seqq. addi velim. Affirmat Paulus, legem non exteriores tantummodo actiones, sed interiorem mentis puritatem inculcare, v. 14. proptereaque optimas præclarissimasque complecti institutiones, quæ hominis menti & intelligentiæ facile se commendent, ut earum præstantiam percipiat, iis delectetur, & quoddam concipiat desiderium conatumque, ita formandi se, ingeniumque suum & mores, prouti lex jubet: at nullas in semet ipso aut in legis præscriptis se deprehendere vires, quibus ad istum tam præclarum & desiderabilem statum eniti, aut talis evadere possit, qualem se esse oportere ex lege intelligat, propriaque conscientia convincatur, v. 15. 16. 18. 22. In contrarium potius se abripi, queritur, ut, quo magis legis præstantiam & sanctitatem intelligat, quamque præclarum foret, si ad istam se componeret, sentiat atque ut re ipsa id præstet, enitatur; hoc magis se ad alia omnia indolis quadam pravitate trahi, & de proposito dejici, cupiditatumque legi adversantium vinculis ineluctabili quadam ratione constringi, v. 15. 18. 19. 21. 23. Iniquissimam vim verbis Apostoli esset allaturus, quisquis spiritualitatem istam legis, v. 14. ad leges tantummodo cæremoniales, earumque sensum typicum & moralem trahere velit, quem homo per semet ipsum assequi haud possit, sed in crassioribus tantummodo



modo notionibus externarum cæremoniarum hæreat. Quid enim cuivis homini, a præconceptis opinionibus vacuo, magis apertum esse possit, quam Apostolum per totum hujus disputationis contextum non de intelligentiæ notionibus, sed de voluntate, ejusque rationibus appetendi, differere, legemque eo respectu considerare, quatenus præstantissima præcepta honesti & justi complectitur, quæ hominis conscientiæ se probent, quorumque excellentiam quivis naturali sensu percipiat, quibus vero cupidates pravæ & carnales repugnent, & ad contraria hominem irritent: quæ sane nulla alia lex esse potest, quam ista, quæ præter cæremonias leviticæ etiam naturalia & æterna morum præcepta complectitur, conf. c. II, 14. 15. Igitur Paulus hoc præsentis loco hunc legi sensum & vim subjicit, ut sit totus complexus præceptorum a Mose litteris consignatorum, quatenus equidem præstantissimas agendi rationes, optimumque tum internum, tum externum statum morum præscribit, qui cujusvis hominis conscientiam sua præstantia per naturalem honesti & justi sensum capiat & obstringat: at vires, ista efficiendi haud suppeditat, nec remedia monstrat, quibus indoles moresque nostri ad istam sublimitatem evehi & formari possint. Hinc hominis statum, si ad legem hoc sensu sumtam referatur, miserrimum esse addit, v. 24. inquietum scilicet, turbulentum, conscientiæ moribus obnoxium iisque jactatum, excruciatumque legis comminationibus, quas uno vocabulo *mortis* Apostolus complectitur, conf. v. 10. cum perpetuo sentiat ho-

mo, qualis debeat esse, nunquam vero talem se esse intelligat, aliaque omnia in semet ipso animadvertat, quam istud legis obsequium, quod pulcherrimum optimumque esse, dummodo illud præstare possit, ipsius conscientia dictamen ipsum fateri cogit. Hinc & huic legi Christum beneficiaque per ipsum parta opponit, quibus turbulentus iste & deplorabilis conscientia status tollatur, illudque ipsum præstetur, quod lex præcipit equidem, sed quo præstare queamus, vires haud suppeditat, v. 25. cap. VIII, 1-4.

II. Jam ex hoc legis significatu, quem adhuc evolvimus, facile intelligi potest, quid istud rei sit, quod *Paulus* imprimis frequentissime *justitiam legis* sive *ex lege* vocare solet. Est nimirum justitia legis secundum *Paulum* ejusmodi agendi ratio, qua quis se sollicito & accurato exercitio omnium eorum, quæ totam summam totumque complexum cultus divini, vitæ & morum, qualem *Moses* præscripsit, continent, & genuinum judaismum constituunt, Deo placere sibi persuadet, gratiaque divina & vitæ æternæ compotem esse, ita ut præterea nihil ad placandum Deum, consequendamque salutem ipsi opus sit. vid. Rom. IX, 31. 32. Etenim vix fieri posse arbitror, ut quis eo delabatur, ut fingat, legem istam justitiæ, quam totam Israelis gentem sequi *Apostolus* pronunciat, unice de cæremoniis legibus esse capiendam. Quis enim prudentiorum paullo judæorum unquam sibi persuasit, solas externas lustrationum & sacrificiorum cæremonias justitiam continere, nec sibi incumbere, ut de ista legum  
mosai-

mosaicarum parte sollicitus sit, quæ æterna & naturalia pietatis & virtutis præcepta tradit? Est igitur ista lex justitiæ tota summa præceptorum a Mose traditorum, quæ judæi, certe isti ex eorum numero, qui pii & religiosi videri volebant, summo studio atque cura exequi conabantur. Hoc est istud *διακειν νομον δικαιοσυνης*. Nec igitur *opera legis*, v. 32. quibus judæi justitiam consequi se posse & debere putabant, isti tantummodo actus esse possunt, quibus cæremoniis leviticis satisfiebat; sed omnia officia cultus divini, pietatis & virtutis a Mose præscripta, quatenus tantummodo ut officia a lege injuncta, & ab homine præstanda considerantur, & homo sibi persuadet, dummodo his officiis exequendis sollicitam operam pro viribus navet, justum se a Deo reputari, Numinique placere, sine ullo respectu ad aliam quampiam rem, qua sibi ad consequendum favorem & benevolentiam divinam præterea opus sit. Hinc & id ipsum Apostolus in isto pietatis, virtutis & justitiæ studio, quod judæi sequebantur, desiderat & reprehendit, quod in hoc officiorum a lege præscriptorum exercitio subsistentes, illudque veram coram Deo justitiam esse putantes, aliud istud remedium impetrandæ benevolentia divinae & salutis, a Deo constitutum, repudient, fidem nimirum in Mesiam, ipsumque Mesiam, quatenus ille hominibus a Deo tanquam fundamentum exhibetur, cui innitantur, in quo confidant, & cujus gratia & beneficio favorem Dei & salutem consequantur, v. 33. conf. Jes. XXVIII, 16. Rom. X, 11. 13. Hocce remedium istaque via offende-  
bat

bat judæos, nec se Mesfiæ beneficio fervari & cum Deo reconciliari oportere, sed suo ipforum proprio observandæ legis exequendorumque officiorum studio, placere Deo, justosque esse, sibi persuadebant. Quod quidem totum Apostolus deinceps cap. X, 3. seqq. tam apertis tamque perspicuis verbis declarat, ut quid ingenuus veritatis cultor ad perspicendam veram Apostoli sententiam ulterius requirere possit, haud videam. Etenim istud remedium & istam viam, inquit, quam Deus hominibus ad justitiam & salutem consequendam ostendit & exhibet, ignorare judæos, qui contra ea istam justitiam, quæ sibi met ipsis propter legis studium competat, qua propriis actibus legi satisfaciunt, statumina velint: hinc ipsos doctrinæ, qua Deus viam ad veram justitiam promulgat, collum nolle submittere, nec hanc a Deo ostensam justitiam quærere aut amplecti. Qualis vero est ista via ad veram justitiam, a Deo ostensa? Mesias, ut homo ipsum fide recipiat, ejusque beneficio & gratia se Deo reconciliari & salutem consequi confidat, v. 4. II. 13. Quænam vero est illa justitia propria, quam antea justitiam legis vocaverat Paulus, cui inhærebant judæi, hacque fiducia putabant se non Mesfiæ beneficio, sed per semet ipsos esse justos? Ista agendi ratio, qua quis officii a lege præscriptis studiosè satisfacere satagit, & ab hoc ipso sollicito studio observandæ legis vitam sibi pollicetur, ita ut præterea nullo alio remedio, quo Deo placeat, sibi opus esse putet, v. 5. Omnino lex hoc loco præcepta cæremonialia sola neutiquam continet: sed totam summam eorum,



rum, quæ Moses præcepit. Nec enim Moses, Levit. XVIII, 5. cum divina statuta & præcepta moribus Ægyptiorum & Cananæorum opponit, istorumque observationi promissionem vitæ addit, de solis ritibus cultus levitici loquitur: nec ullus prudentior judæus unquam tam pueriliter ista Mosis verba interpretatus est, ut sibi a solo cæremoniarum lustralium exercitio, sine pietatis & virtutis officiis, vitam & justitiam sit pollicitus. Conf. Luc. X, 25-28. Putabant igitur Judæi, dummodo universum legum mosaicarum complexum studiosè & pro viribus explere satagant; justos se esse, & Deo placere, populumque Dei dilectum, cui omnes promissiones divinæ debeantur, constituere, ita ut ad hoc quidem obtinendum Mesfiæ beneficiis & gratia nullo modo indigeant. Hæc igitur, est ista *justitia legis*, quam Paulus veræ justitiæ, a Deo nobis ostensæ & exhibitæ, opponit. Atque hæc quidem ipsius Pauli exemplo mirifice illustrantur. Fuisse se, inquit, irreprehensibilem, quod ad eam justitiam attinet, quæ lege continetur. Philip. III, 6. Atqui Paulus certe hanc suam legis justitiam olim non in cæremoniis externis tantummodo, sed in serio exequendorum omnium a lege præscriptorum studio collocaverat, ita ut non crassiorum Pharisæorum & hypocritarum more sciens volensque pravis cupiditatibus exteriorem quandam cæremoniarum diligentiam obtenderet, sed pro modulo cognitionis interiori etiam mentis affectu & conscientia, & bona fide, ut ajunt, ad ea omnia se componere studeret, quæ in lege præcepta esse videbat, conf.

b

Actor.

Actor. XXIII, 1. XXII, 3. XXVI, 4. 5. Hominem, qui nudis cæremoniis inhæret, neglectis pietatis & justitiæ præceptis a Mose traditis, nunquam sane prudens aliquis & orthodoxus judæus pro tali reputasset, qui secundum legem sit irreprehensibilis: nec Paulus tam impudens fuisset, nisi & honesti & justî regulas, quas tota religionis forma a Mose tradita complectitur, studiose observasset, ut ad hanc suam irreprehensibilem vitam secundum legem, ubique & publice provocaret. Conf. Luc. I, 6. Habes igitur istud, quod hoc loco Paulus legis nomine nuncupat, universam nimirum religionis & vitæ summam a Mose præscriptam, sive totum judaismum, quatenus certis officiis exequendis continetur. Justitia igitur legis, de qua differit Apostolus, est ista vitæ ratio, qua quis istis officiis pro viribus satisfacit, atque hoc quidem exequendorum officiorum a lege præscriptorum studio nititur, in eo acquiescit, & propter istud putat se acceptum Deo esse, juriumque & beneficiorum, Dei populo promissorum participem. Conf. v. 3. 4. Huic jam legis justitiæ, cujus infirmitatem, quod ad veram conscientiæ tranquillitatem coram Deo haud sufficiat, intellexisse se affirmat, cum ad Christum converteretur, v. 7. opponit aliam, quam Mesfiæ beneficio sit consecutus; ita ut mentis fiduciam & tranquillitatem de propitio Numine, non amplius in propria illa justitia legis collocet, sed in Mesfia, & in istis beneficiis, quæ per & propter Mesfiam hominibus offeruntur, ita ut in solis his a Mesfia expectandis bonis & beneficiis coram Deo requiescat, v. 3. 7. 8. seqq. Conf. I Cor. I, 29-31. III.

III. Apparet igitur, in legis justitia, de qua passim Paulus disputat, nec istam legis mosaicae partem solam spectari, quae praecipua naturalia ad omnes homines pertinentia complectitur, nec etiam illa tantummodo statuta, quae positiva erant, & externis caeremoniis absolvebantur, solisque Israelitis praescripta erant: sed utrumque genus praceptorum simul sumtum, in toto suo ambitu, quatenus arctissime in mosaicae religionis forma inter se conjuncta erant, & alterum ad alterum referebatur, & in hac arctissima connexionione & mutua relatione genuinum judaismum constituebant. Verum est, nunquam prudentem & orthodoxum aliquem judaem adeo vana opinione fuisse ductum, ut sibi persuaderet, plane ab omnibus naevis & vitiis vitae & morum se esse immunem, ita ut legis praecipuis, quae universales & aeternas pietatis & justitiae regulas tradunt, omni ex parte, aut sine ulla adhaerente labe satisfaciat. Sed aequum est illud, credidisse judaeos, quod ista vitae peccata & errores tum per ipsorum reliquum discendae & observandae legis studium compensentur, tum per sacrificia piacularia a Mose instituta, reliquaque lustrationum genera tollantur quotidie, ut ipsis obesse coram Deo haud possint, quo minus propter istam legis mosaicae studiosam observationem Deo grati & accepti dilectissimusque Dei populus sint. Hinc & nemo prudens ex judaeorum numero solis externis cultus levitici caeremoniis ita confidebat, ut iis sine serio vitae pie & probae studio justitiam & vitam aeternam consequi se posse putaret.

Conjungebant utrumque, & ipsorum tota ratio huc redibat, judæis, ex dilecta Patriarcharum stirpe oriundis, & per circumcisionem in fœdus abrahamiticum receptis, ecclesiæque judaicæ insertis, pie & juste secundum legis præscriptum viuendum esse, intercedentibus vero peccatis & erroribus occurrendum istis expiationum & lustrationum remediis, quæ itidem a lege præscribebantur: tunc esse quemquam genuinum judæum, membrumque populi a Deo dilecti, gratiæque divinæ & vitæ æternæ participem. Vid. Philip. III, 4-6. Accedebat apud quam plurimos, quod supra de Pharisæis jam observavimus, vana persuasio, officia ista pietatis & virtutis, æque ac sacrificiorum & lustrationum genera, externis tantum vitæ quibusdam actionibus absolvi & perfici posse, neglecta interiori mentis puritate & emendatione. Quod si qui erant, qui ultra saperent, nec externa ista pharisaica virtutum specie contenti esse vellent; hi tamen & ipsi non nisi ad nova opera vitæque officia exquirenda videntur delapsi esse, quibus legis præscriptis melius & exactius satisfacere, sicque majorem legis justitiam sibi acquirere possent, quam secundum vulgarem legis interpretationem fieri videbant. Nec ad aliud quid sibi respiciendum, aut alia vitæ beatæ remedia exquirenda putabant, quam ejusmodi opera virtutisque actus, quibus officiorum regulas, sive legem, quam accuratissime explere possint. Conf. *Mattb. XIX, 16. seqq. Luc. X, 25. seqq.* Atque hæc quidem istorum judæorum opiniones de via vitæ, & de gratiæ divinæ ac salutis fundamento, ad posteros, qui  
Mes-

Mesiam rejecerant perfliterantque in pertinaci incredulitate, ita propagatæ sunt, ut adhuc hodie universo apostatico judaismo altissime infixæ hæreant: id quod ex ipsis eorum antiquis & recentioribus monumentis abunde & luculenter patet. Supererant equidem inter ipsos haud pauca aut exigua vestigia divinissimæ istius doctrinæ de expiatione peccatorum per Mesiam peragenda, de salute & vita & justitia unice a Messia expectanda, cæt. quam ipsam doctrinam Apostoli tradebant, & quæ judæorum falsis opinionibus e diametro repugnabat. At in ipso vitæ usu ad ista veritatis vestigia haud attendebant, nec vim eorum sentiebant, sed præconceptarum de justitia legis opinionum impetu ita abripiabantur, ut scintillulas veritatis ad otiosas tantummodo ingenii speculationes relegarent, in ipsa vita vero aliis longe inhærerent rationibus. Addebant, si nec proprium virtutis studium, nec sacrificia & lustrationes, nec circumcisionis vim ad purgandam beatandamque mentem sufficere ab ipsorummet conscientia arguebantur, multa alia & subsidiaria quasi remedia, quibus totum negotium justitiæ & salutis confici, & quidquid ipsis deesset adhuc, expleri putabant, ut majorum merita & inde redundantem gentis suæ præstantiam, varias molestissimasque corporis castigationes, tum a Deo ipsis inflictas, tum sponte susceptas, & tandem ipsam corporis mortem, quæ sit plenaria expiatio reliquorum adhuc peccatorum. In compendio, sed eleganter cuncta, præter multos alios, complectitur

*Herman. Witsus, Miscell. ff. T. II. Exercit. XXI. p. m.*



548. ff. In tota hac judæorum ratione, quod ad justitiam & salutem consequendam attinet, omnia redire vides ad proprios hominis actus, quibus legi & voluntati divinæ satisfaciatur, atque ex hoc fundamento Deo gratus & justitiæ & salutis compos fit, nullo plane Messia beneficio intercedente. Expectabant equidem Messiam, sed longe alias ob causas & ex alia plane ratione, quam ut ad consequendum favorem Dei & ad justitiam coram Deo, ipsius opera indigerent. Si quid ipsorum propriæ dignitati propriisque studiis deesset, id a majorum meritis sibi pollicebantur, nullo modo vero a Messia ejusque gratia, atque tantum abest ut in Messia tanquam auctore & fonte salutis, justitiæ, & vitæ æternæ confiderent, totumve Dei favorem & gratiam ejus beneficio sibi obtingere crederent, ut potius missionem & adventum Messia, & quidquid felicitatis ab ipso expectabant, tanquam præmium, dignitati majorum & ipsorum propriæ justitiæ & virtutibus debitum considerarent, omniaque, quæ Messias ipsis sit procuraturus, ad terrestrem tantummodo & temporalem felicitatem referrent, quæ uni suæ genti ob legis studium & in justitiæ suæ remunerationem, a Deo per Messiam ejusque victorias sit procuranda. Tam longe perversa gens a Prophetarum antiquissimorumque majorum suorum spe & sententiis aberravit, & adhuc aberrat. Fuerunt tamen tempore nati Christi passim inter judæos, qui rectius saperent, Prophetarumque oraculis serio attendentes, talem expectarent Messiam, qui salutari notitia Dei ipsos sit beaturus, & auctor atque

que fons vitae, salutis & iustitiae futurus, a quo, quidquid legis serium studium, adhuc ab ipsis excultum, praestare haud possit, ipsius beneficio & gratia sit expectandum. Ex horum numero erat *Zacharias Joannis* parens, conf. *Luc. I, 69. 70. 75. 77. 78. 79.* & *Simeon* ille senex, *Cap. II, 30. 31. 32. 34.* aliique passim. Haec ipsa erat summa eorum, quae Apostoli iudaeis a primo evangelii initio severissime inculcabant, sicque pristinam Israelis fidem & religionem ex ruinis quasi restaurabant: quod quidem deinceps copiosius demonstrabimus. Hinc & *Paulus* praecipue, ubicunque ipsi cum iudaeis res erat, quos a falsa ista legis iustitia studebat avocare, id unice egit, ut ad Messiam eiusque beneficia ipsos revocaret, veram iustitiam, qua Deo placerent, vitamque adsequantur, non qualicumque isto officiorum legalium studio contineri, sed alia longe opus esse via ad vitam, & veniam, impunitatem, Dei benevolentiam, iustitiam & salutem a Messia esse procuratam, ab ipsoque fide requirendam, severissime contendens. Videtis, praeter multa ista adhuc iam adducta Pauli testimonia, insignem locum, *Actor. XIII, 38. 39.*

IV. Unus adhuc superest *legis* significatus, in tabulis N. F. obvius, qui attentionem nostram quam maxime meretur, & ex eo resultat, quando sensus typici, qui legi inest, ratio habetur. Lex, eiusque ista imprimis pars, quae sacrificiorum lustrationumque genera praescribit, ad Messiam referebatur, eumque & beneficia eius adumbrabat elegantissime. Idque ipsum  
inten-



intendebat Deus, ipsique in ferenda lege erat propositum, ut veri Israelitae, qui verae & Deo acceptae religionis vim & sensum assequebantur, per istas exteriores caeremonias ad Mesiam revocarentur, quippe qui suo tempore veram peccatorum expiationem sit procuraturus, & peccatores cum Deo reconciliaturus, ita ut ipsius beneficio ipsis venia ista & immunitas a peccato & morte sit obventura, quae per legem adumbrabatur. Nec ignorabant pii Israelitae hunc legis typicum sensum, & prophetae deinceps eum ubique fundamenti loco substernunt, copiosiusque declarant, totam Israelis gentem ubique ad intensissimam spem excitantes, fore, ut Messias ipsis sit lucem & vitam allaturus, utpote qui sit auctor salutis, & iustitia nostra, ut peccata nostra tollantur, veraque felicitas propitiusque Numinis favor erga nos restituatur. Id ipsum enim Israelitarum mentibus magnum istud divinae oeconomiae mysterium quodammodo pandebat, veram iustitiam & vitam & viam salutis non his officiis, quae a lege praescribebantur, contineri, sed totum hunc legis apparatus vicaria tantum virtute gaudere, ut ad longe sublimiores res, ad Mesiam nimirum eiusque beneficia, homines animum erigant. Conf. *Hebr.* VIII, 7. seqq. Sed haec quidem alias copiosius sunt disputanda. In praesentia istud tantum observamus, legem, si secundum istum typicum sensum sumatur, & ipsam de Messia, & de vera iustitia per unum Mesiam obtinenda testari, hominesque ad Mesiam ablegare. *Rom.* III, 21. X, 4. Quod si vero lex sine isto typico sensu & scopo con-

consideratur, quatenus actus tantummodo quosdam & officia præscribit, ab homine exequenda, delinquentibus vero pœnas & iram divinam minatur, easque in ipsa necessitate piacularia sacrificia quotidie offerendi, repræsentat quasi & præfigurat; tunc id quidem nonnunquam *littera legis* vocari solet. Conf. 2. *Corinth.* III, 6. ff. Nolim hoc loco, quod a nonnullis fieri video, legem ad solam cæremonialem partem referre. Obstant apertissima Apostoli verba, v. 7. quibus se de ista lege disputare significat, quæ in tabulis lapideis sit quondam incisa. Atqui tabularum istarum summa proxime & quoad maximam partem ad naturales & æternas morum leges pertinet. Est nimirum Decalogus fundamentum & basis totius legis mosaicæ, quatenus tanquam officiorum complexus spectatur, & totius fœderis sinaitici, ita ut ad decalogum reliqua omnia referantur, & cum ipso jungatur arctissime. Etenim ipse sacrificiorum piacularium & lustrationum apparatus, prouti a Mose simplicissimis Patriarcharum sacrificiis fuit superadditus, & tanquam actuum tantummodo complexus sine respectu ad Mesiam spectatur, referebatur ad decalogum, ut Israelitæ quotidie, cum se deliquisse contra fundamentales istas leges sentirent, offerendo vicarium animal ad subeundam mortem, mortis se reos agnoscerent, promeritamque mortis pœnam per vicariam victimæ necem avertere stude-  
rent. Apostolus igitur totam mosaicæ legis summam, quatenus actibus quibusdam ab ipso homine exequendis, sine ulteriori & sublimiori respectu, continetur,

c

com-



complectens, mortis eam & condemnationis ministerium, siue doctrinam, quæ homini mortem & condemnationem annunciat & minatur, vocat v. 7. 9. quoniam lex isto literali sensu de officiis præstandis sumpta, delinquentibus severissimas minas intendit, eosque adigit, ut ipsi se harum minarum, & mortis, & condemnationis reos fateantur, sacrificiis piacularibus quotannis offerendis, quæ in se & secundum sensum proximum & litteralem spectata, peccatorum tantummodo conscientiam renovabant, ut homini, quid perpetraverit, quidve peccatis suis promeritus sit, in memoriam revocaretur, ipsam vero peccati conscientiam, siue sensum & metum mortis & pœnæ, tollere nequiverunt. Conf. Hebr. IX, 9. X, 1-4. Huic mortis & condemnationis ministerio, siue legi, pro nudo officiorum præstandorum complexu sumptæ, opponit Apostolus *ministerium Spiritus & justitiæ*, v. 8. 9. Hoc vero, ipso Apostolo interprete, est doctrina, quæ Mesiam ejusque beneficia, & justitiam veram coram Deo per ipsum impetrandam, hominibus annunciat, ὁ δὲ κυριος το πνευμα εἶναι, inquitente, v. 17. Etenim judæis, qui solam istam litteralem sensum exteriusque quasi corpus legis spectabant, nihil sibi opus esse putantes, nisi ut officia & actus istos a lege præscriptos severo studio observent & exequantur, quo justii & Deo accepti esse possint, hæc opinio velaminis instar erat, quo impediabantur, quo minus totius oeconomix siue legis mosaicæ scopum assequi possent, qui in eo versabatur, ut vicario tantummodo munere quasi ad certum tempus fun-

fungeretur, interea vero peccatores ad Mesiam expectandum erigerentur, qui generi humano veram justitiam & salutem & vitam sit redditurus, ad quam vel enixissimo observandæ legis mosaicæ studio, quatenus officia tantummodo præscribit, pertingere haud poterant. Unde sequebatur & illud, ut, ipso Messia adventante, vicaria ista & exterior religionis forma a Mose instituta, tota sit cessatura, qua officia tantummodo homini præscribuntur, & minæ gravissimæ delinquentibus intenduntur, nec aliud remedium effugiendæ condemnationis & mortis ostenditur, nisi victimarum & lustrationum apparatus, per quem tamen magis rei peragebantur judæi, quam ut liberarentur a conscientia peccati & promeritæ mortis, vid. v. 13 - 15. coll. Hebr. IX, 9. 10. Ista enim religionis forma, per se & secundum proximum istum & litteralem sensum sumpta, inutilis & nimis infirma erat, quam ut peccatori veram fiduciam in Deo reconciliato ponendam inspirare, ideoque justitiam & vitam reddere potuerit. Si vero ad Mesiam referatur, figuras tantummodo & umbras eorum, quæ Messias hominibus sit condonaturus, continebat. Hinc simulac judæi veram istam de Messia ejusque beneficiis, & de justitia per ipsius gratiam obtinenda, doctrinam, recipiebant; cadebat velamen, sive opinio ista, quasi exequendorum officiorum, quæ in lege mosaica continebantur, studium ipsis causa & fundamentum fiduciæ & justitiæ coram Deo esse possit. In Messia enim inveniebant, quod per legem assequi quidem conati erant, sed nunquam assequerentur.

quebantur, conscientiæ nimirum suavisimam tranquillitatem ob impetratam veniam, & impunitatem, & benevolentiam Numinis, & justitiam atque vitam: neque, cum in Messia ipsum illud habebant, quod per legem quasi adumbrabatur, & legis velamine, quasi corpore aliquo exteriori, tegebatur, figuris amplius aut umbris opus erat, vid. v. 16. Messias enim hos, qui ad ipsum convertuntur, per hanc ipsam suavisimam doctrinam, qua se suaque beneficia hominibus offert, tanquam is, qui re ipsa peccatoribus præstet, quod lex Mosis secundum litteralem sensum pro officiorum doctrina accepta, præstare non potest, territos peccatorum conscientia, virtute spiritus sui confirmat, & mentem rectam & securam reddit, ut beatissimus veniæ & immunitatis a morte, quam lex minatur, & ingenui animi, & filialis fiduciæ sensus exoriatur, v. 17. coll. Hebr. II, 15. Habet igitur *littera legis*, το γραμμα, duplicem vim, pro diversitate rei alterius, cui opponitur. Aut enim hæc vox capitur de crassiori interpretatione legis, ut ad exteriores tantum & in oculos hominum incurrentes actiones trahatur: quo sensu opponitur, ut supra vidimus, spiritualitati legis, i. e. ejusmodi interpretationi, quæ simul interioriorem mentis puritatem & rectitudinem complectitur. Aut eadem vox *littera* refertur ad sensum legis typicum, ita ut *littera* sit ista ratio, qua lex tantummodo secundum proximam verborum vim ad officia præscripta eorumque sollicitum exercitium trahitur, ideoque sub ea tantum forma consideratur, quatenus certas actiones suscipiendas homini-

mini-

minibus injungit, delinquentibus vero pœnam & mortem minatur, nulla ratione habita sensus typici, qui ad Mesiam & evangelium pertinet. Hoc sensu vocatur etiam, ut itidem supra ostensum est, *lex operum*, i. e. summa & complexus officiorum a Mose præscriptorum. Per ea autem, quæ de *justitia legis* secundum sententiam perverforum judæorum disputata sunt, hi quidem etiam quod hunc sensum attinet, in *littera legis* subsistebant. Negligebant enim typicam vim, quæ ad Mesiam ejusque beneficia referebatur, ita ut lex veram justitiam, a Mesia ejusque gratia expectandam, significaret tantummodo & adumbraret: contra ea vero ipsum illud actionum a lege præscriptarum exercitium, reputabant pro justitia, qua Deo placeant. Supererant equidem inter judæos, inde a majoribus suis multa veritatis vestigia, etiam quod ad hunc typicum legis sensum attinet. At contemnebantur ista vestigia a maxima judæorum parte, qui in ipsa praxi & usu vitæ longe alia sequebantur principia & rationes, pro uti supra de doctrina ad Mesiam pertinente in univ-  
sum jam a nobis observatum est. Hocce velum, sive has præconceptas de lege ejusque justitia opiniones, quibus impediabantur judæi, quo minus verum sensum scopumque legis mosaicæ perspicere possent, Apostolus, ut alibi sæpius, ita in *Epistola ad Hebræos* data opera & copiosa disputatione remove re studet, typico legis sensu, quoad illam præcipue partem, quæ victimarum & lustrationum cæremonias continet, quibus mortem & condemnationem a lege in delinquentes



constitutam avertere, peccataque sua expiare se posse putabant judæi, accurate explicato & confirmato, ostensoque, legem sine ista typica ratione & secundam solam litteram, qua certæ actiones a peccatore suscipiendæ præscribuntur, infirmam & inutilem esse ad peccata tollenda, nec aliquid ad veram coram Deo justitiam conferre posse.

V. His ita de diverso *legis* significato disputatis, sequitur nunc, ut inquiremus, quonam sensu ista vox in hac præsentī hierosolymitana disputatione ab iis accepta sit, qui Mosis legem ejusque observationem ad salutem necessariam, atque propterea fratribus ex gentibus injungendam esse contendebant. Atque hoc quidem in appricum produci & intelligi poterit, si ad hos ipsos homines eorumque statum attendamus, ad quos hæc quæstio pertinebat. Hoc enim factō apparebit, quidnam illud sit, quod huic hominum generi ex toto præceptorum mosaicorum complexu adhuc deerat, & quo sensu propterea lex Mosis ejusque observatio ipsis adhuc injungenda videri poterat: quo ipso intelligemus & istud, quænam vis & significatio legi Mosaicæ in hac quæstione discutienda, subjecta sit. Erant autem fratres isti, quibus nonnulli Mosis legem observandam imponere volebant, non ex judæorum numero, nec quoad originem & genus, nec quoad totam exteriorem religionis judaicæ formam; sed ex aliis gentibus, qui tamen evangelium de Christo audiverant & susceperant. Quod quidem per totam rei gestæ

stæ narrationem adeo clarum est, ut a nemine in dubium vocetur. Conf. Actor. XI, 20. ff. XIV, 27. XV, 1. 3. 7. 12. 19. 23. Cæterum hi ipsi homines rursus duplicis erant generis. Alii enim jam antehac relicta idololatria unum & verum Israelis Deum agnoverant, prouti a Mose & Prophetis prædicatur, atque propterea religionem judaicam eatenus susceperant, ut unum istum verumque Israelis Deum colere, atque eo pertinentia pietatis & justitiæ universalia atque naturalia officia exequi studerent. Ex horum genere erat *Cornelius* iste, ejusque familia, quem ipse *Petrus*, v. 7. ff. tanquam exemplum horum fratrum, de quibus disputabatur, in medium affert. Conf. cap. X, 1. 2. 22. 28. Hujus generis homines isto tempore ubique locorum admodum multi reperiebantur, qui propterea vocabantur *σεβομενοι τον θεον*, *cultores veri Dei*. Conf. I. c. v. 2. Cap. XIII, 43. 50. XVI, 14. XVII, 4. 17. Alii vero usque ad istud temporis momentum, quo audirent Apostolorum institutionem & præcepta, abominandæ gentilium religionum superstitioni plane videntur immerisi & mancipati fuisse. Audita vero evangelii doctrina disciplinaque Christi, eique assentientes & obedientes, relinquebant idololatriam & superstitionem, agnoscebantque unum verum Deum, huicque dimisis peccatis & sceleribus, quibus adhuc erant dediti, obsequium dignumque vera Dei cognitione pietatis & virtutis studium & vitam spondebant. Id enim omnium primum caput istius religionis & institutionis erat, quam gentilibus Apostoli annunciabant, idque ab his primo statim



tim loco promte erat recipiendum, qui ad Christi ecclesiam adjungi cupiebant, vid. Act. XXVI, 17. 18. XIV, 15. seqq. XVII, 22. seqq. Nec sine his conditionibus recipiebantur ab Apostolis aut pro christianis reputabantur. Conf. Rom. VI, 17. 19. I Corinth. VI, 9-11. I Theff. I, 9. Hæc ipsa prima disciplinæ apostolicæ pars nonnunquam generaliori vocabulo ἡ μετανοια εἰς τὸν θεόν, ejusmodi animi & mentis immutatio, qua quis ad verum Deum agnoscendum digneque colendum se convertit, appellatur, vid. Act. XX, 21. His ex causis de cunctis istis fratribus ex gentilium numero, qui Christum receperant, hoc nostro loco Act. XV, de quo disputamus, prædicatur ἡ ἐπιστροφή, *conversio mentis*, v. 3. *purgatio*, sive emendatio cordis seu mentis, v. 9. *it. receptos ipsos esse a Deo in societatem populi sui ἐπι τῷ ὄνοματι αὐτῶν*. i. e. quoniam doctrinam de uno vero Deo ejusque cultu, assensu & obsequio receperint, v. 14. *quasi esse ipsos Dominum ipsiusque nomine appellatos fuisse*, v. 17. *conversos esse*, mente & animo, ad Deum, v. 19. Certum itaque & indubitatum fuit, quod omnibus notum sit, omnes istos ab Ethnicismo ad Christi disciplinam aggregatos homines, illam legis Mosaicæ partem integro mentis assensu & obsequio jam suscepisse, quæ cultum unius veri Dei, creatoris cæli & terræ, vitamque hoc cultu dignam complectitur, atque ejusmodi pietatis, honestatis & justitiæ regulas tradit, quæ æternæ, & natura hominibus notæ sunt, proptereaque ad omnes homines pertinent. Conf. Rom. I, 19. 20. II, 14. 15. Nec igitur nostro loco de necessitate legis Mosaicæ, quod ad





quo sensu equidem & universalia ac æterna agnoscendi colendique veri Dei, pieque & juste vivendi præcepta tradit, at hoc quidem totum in arctissima & inseparabili conjunctione & nexu cum ingenti legum positivorum & cæremonialium multitudine, ad cultum divinum vitamque humanam pertinentium, quarum observatione & exercitio secundum litteralem sensum, judæi quoad religionem & ecclesiasticam civitatem gens quædam & populus a cunctis reliquis gentibus separatus & distinctus evadebant. Igitur Zelotæ isti, homines ex gentibus ad Christum conversos plenos & perfectos judæos fieri, & circumcisionem recipiendo ad totam judaismi formam suscipiendam & observandam adstringi, volebant: ita ut jam admittam veri Dei agnitionem & cultum, cæteraque pietatis & virtutis officia, ab ipsis jam suscepta, in arctissima ista connexionione cum tota reliqua parte institutorum Mosaicorum exercent; alias ipsos nullo modo posse servari, i. e. regni & beneficiorum Messianorum, gratiæque divinæ & remissionis peccatorum participes esse.

VI. Universus iste quæstionis controversæ status mirifice ex iis illustrari & declarari potest, quæ a judæis de conditione & diversis generibus *Profelytorum* præcipiebantur. Sed hæc quidem in aliud tempus differimus. In præsentia moniti estote, CIVES, ut caveatis, cum gloria Dei consiliumque divinum de nostra salute, clarissime nobis quidem per evangelium Domini nostri JESU CHRISTI manifestatum sit, ne eripiatur  
 cup  
 ani-

animis hæc beatissima lux, neve tenebræ nos rursus opprimant. Etenim multi nostra ætate vehementer in eo elaborant, ut velum istud Mosis denuo obducant mortalium mentibus, sepultoque Christo, quod iste quidem unus sit nobis auctor & fons vitæ, justitiæ, sapientiæ & sanctitatis, abolitisque beneficiis ejus, quibus unice Deo placeamus, nos ad *litteram* legis rursus ablegent, suavissimumque evangelium, quod peccatoribus affert solatium & vitam, convertant in morum doctrinam quandam, quomodo per nosmet ipsos nostrumque virtutis studium Deo satisfacere possimus, justique reputemur. Et hæc quidem sunt omnium infelicissimæ tenebræ, quæ mortalium animum occupare queant, dispulsæ quidem per Christum ejusque Apostolos, sed per omnes ætates adamatæ a mundo & luci repugnantes, occludentesque hominibus omnem aditum ad veram vitam & justitiam, quæ conscientiæ veram tranquillitatem, & excelsum animum, & filialis fiduciæ sensum coram Deo inspirat. Nec igitur, CIVES, hasce tenebras evitare & effugere poteritis, nisi in uno Christo requiescere discatis. Id vero accidet, si vosmet ipsos, vestraque omnia, agnoscatis pro nihilo reputanda esse, nec vires vestras, neque sapientiam, neque virtutis & honestatis opera eam esse justitiam, quam Deus manifestat & offert peccatoribus per evangelium. Etenim ista omnia, quibus nobismet ipsis esse aliquid videmur, ejusmodi sunt, quæ reprobantur a Deo & destruuntur, quo unus Christus peccatoribus relinquatur, cujus beneficio nobis vera liber-



libertas a peccato, & vita, & iustitia & genuina sanctitas  
 obtingat, ita ut ad unum Christum omnem nostram  
 spem & fiduciam & animi requiem referamus, *1 Co-*  
*rintb. II, 27-31.* Huc igitur in his festis diebus studia  
 vestra, & mentis consilia & preces convertite, ne in  
 istud contumaciæ & obdurationis exemplum incidatis,  
 illudve sequamini, quo Judæi, in hanc ipsam petram  
 salutis & iustitiæ illisi, interierunt, *Rom. IX, 32. 33.*  
*Hebr. IV, 11.*


P. P.

SUB SIGILLO ACADEMICO,  
 PENTECOSTES SOLEMNI DIE,  
 MDCCLXX.



LBMV Schwerin 33  
000 301 23X






Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1837747148/phys\\_0032](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1837747148/phys_0032)

**DFG**



the scale towards document

✻   ✻   ✻

13

perstiterantque in pertinaci incre-  
atæ sunt, ut adhuc hodie univerfo  
altissime infixæ hæreant: id quod  
quis & recentioribus monumentis  
patet. Supererant equidem inter  
t exigua vestigia divinisimæ istius  
one peccatorum per Mesiam pera-  
vita & justitia unice a Mesia ex-  
n ipsam doctrinam Apostoli trade-  
rum falsis opinionibus e diametro  
ipso vitæ usu ad ista veritatis vesti-  
nt, nec vim eorum sentiebant, sed  
justitia legis opinionum impetu ita  
scintillulas veritatis ad otiosas tan-  
speculationes relegarent, in ipsa vita  
nærerent rationibus. Addebant, si  
itis studium, nec sacrificia & lustra-  
ncisionis vim ad purgandam bean-  
fficere ab ipforummet conscientia  
a alia & subsidiaria quasi remedia,  
otium justitiæ & salutis confici, &  
et adhuc, expleri putabant, ut majo-  
e redundantem gentis suæ præstan-  
tissimasque corporis castigationes,  
fictas, tum sponte susceptas, & tan-  
is mortem, quæ sit plenaria expiatio  
peccatorum. In compendio, sed  
præter multos alios, complectitur  
*Miscell. ff. T. II. Exercit. XXI. p. m.*  
b 5 548.